

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

# In festo die Petri & Pauli.

*Evangelium Matth. 16, v. 13. --- 20.*

## EXORDIUM.

**C**um tabernaculum fœderis ex-  
struendum esset, vocavit Deus ex  
nomine Beseleel & Oholiab, &  
implevit eos spiritu sapientiæ, in-  
telligentiæ & scientiæ, ad excogitandum,  
quicquid fabrefieri potest, ex auro & argen-  
to & ære; fabrefactione in gemmis, & fa-  
brefactione lignorum, ad faciendum in o-  
mni opere, Exod. 31. v. 1. seqq.

Hoc sensu mystico applicabimus.

Tabernaculum fœderis in V. T. *typus*  
*fuit ecclesie militantis in his terris*, quam sibi  
Christus ex Judæis & ethnicis per verbum  
& sacramenta colligi fecit, ideo vocatur ta-  
bernaculum Dei cum hominibus, Apoc. 21,  
2. cujus artifex & conditor est Deus, Heb. 11,  
10. sed & architectos suos adhibet, quo fi-  
ne Apostolos vocavit, & spiritu sapientiæ &  
intelligentiæ adeo instruxit, ut in omnibus  
linguis Jesum Nazarenum in toto orbe di-  
vulgarent & prædicarent, Judæis quidem  
scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis  
autem vocatis Judæis & Græcis Christum,  
Dei virtutem & sapientiam, 1. Cor. 1, 23, 24.

Adhuc hodie fideles operarios mittit in  
messam suam, Matth. 9. v. ult. & dat ecclesiæ  
sue Doctores & Pastores ad preparatio-  
nem sanctorum in opus ministerii, in ædi-  
ficationem corporis Christi, Eph. 4. vers. 11.  
13.

Quemadmodum vero Beseleel & Oho-

liab certum exemplar habebant, ad quod  
omnia fabrefacere tenebantur, nempe ad  
ideam, quam Deus Mosi in monte Sinai  
ostenderat: Ita & Apostoli hanc eccle-  
siæ structuram adornarunt, non ex suo ar-  
bitrio: sed ad normam scripturæ sacræ,  
ubi angularis lapis Jesus Christus est, Eph.  
2. v. 20.

*Petrus & Paulus*, quorum memoria huic  
diei consecrata est, *duo præcipui architecti*  
fuerunt, quorum alter ad Judæos, alter vero  
ad gentes missus est, ut ibi spiritualem ar-  
chitecturam exercerent, sed omnia ad ide-  
am, quam illis Deus præscripsit. Hinc Pau-  
lus: Fundamentum aliud nemo potest po-  
nere, præter id, quod positum est: quod est  
Jesus Christus, 1. Corinth. 3, 11. Cum quo  
consentit illud Petri: Non est in aliquo  
salus: nec enim aliud nomen sub cælo  
datum est hominibus, in quo oporteat  
nos salvos fieri, nisi nomen Jesus, Ac-  
tor. 4. vers. 12. hæc petra est, super  
quam ecclesia ædificata & adeo fundata  
est, ut portæ inferorum non prævaleant ad-  
versus eam, ut prædictum Evangelium testa-  
tur.

Nos ad ipsum Evangelium prælectum  
accessuri meditabimur ex eodem:

I. Ἀποστολικῶν, sive *notitiam nostræ.*

II. Χριστολογικῶν, sive *notitiam Christi.*

JJ.

Aaaa 3.

Exege-